C

NOMINA.

*Nenuphar.*

*Nymphæa cur dicta.*

NYMΦAIA Græcis, Nymphæa Latinis, officinis Nenuphar barbara uoce nominatur. Germanis Seeblům / Waſſermâhen. Nymphęæ autem nomen ſibi uendicaſſe uidetur, quod aquoſa amet loca: uel, ut ex ueteribus aliqui fabulati ſunt, à Nympha, quæ zelotypia Herculis intabuit & mortua eſt, inq; paluſtrem hanc plantam mutata.

GENERA.

*Candida.* Duo eius genera. Vna enim à flore candido, Lilij ſimili, candida appellatur.

*Lutea.* Germanicè weiß Seeblůmen. Altera itidem à floribus, qui lutei ſunt, lutea nominatur. Germanicè geel Seeblůmen. Poſſent etiam radicibus diſcerni, cum prior nigra, altera uerò candida cõſtet, adeò ut hoc nomine prima candida, altera autem nigra diceretur. Multò uerò conſultius eſt à floribus, quàm radice diſcrimen ſumere, quòd illi nunquam non oculis expoſiti ſint, radices autem non niſi effoſſæ intueri poſsint.

FORMA.

Prima, folia Ciborio ſimilia habet, minora tamen & longiora, quadantenus ſuper aquam eminentia, aliquà tamen etiam ſub aquis, plura ab una radice prodeuntia. Flos candidus, Lilio ſimilis, in medio quod croceum ſit obtinens. Hic cum defloruerit rotundus, & mâlo circunferentia, aut Papaueris capiti ſimilis, colore niger fit. In quo ſanè ſemen clauditur nigrum, latum, denſum, guſtu glutinoſum. Caulis illi læuis, minimè craſſus, niger, Ægyptiæ fabæ ſimilis. Radix nigra, aſpera, clauæ perſimilis. Hæ ſingulæ notæ alteri Nenuphari uocato quadrant. Folio enim conD ſpicitur orbiculato, læui, herbaceo, amplo, in ſtagnantibus aquis ſupernatante: flore candido, Lilio ſimili, in medio croceum habente, & cum defloruerit capite Papaueris, in quo ſemen latum, amarum, pingue. Caulis gracilis eſt & læuis. Radix nigra & ampla, dulcis, nodoſa, clauæ formam repræſentans. Altera folia antedictę ſimilia habet, ſed radicem albam & aſperam: florem luteum, ſplendentem, roſæ ſimilem. Quæ itidem notæ in uniuerſum omnes alteri Nenuphari, quæ luteis eſt floribus, reſpondent.

LOCVS.

Naſcitur in paludibus & aquis ſtagnantibus.

TEMPVS.

Flores in fine Maij & Iunio menſe colliguntur. Radices autem in autumno effodiuntur.

TEMPERAMENTVM.

Nympheæ tum radix, tum ſemen refrigerandi & citra morſum deſiccandi uim obtinet.

VIRES. EX DIOSCORIDE.

Radix prioris ſicca cum uino pota, cœliacis & dyſentericis prodeſt. Lienem abſumit. Stomachi ueſicæq; doloribus illinitur. Alphos ex aqua exterit. Alopecias cum pice impoſita ſanat. Eadem contra Veneris inſomnia bibitur, ſiquidẽ ea compeſcit. Paucis diebus, ſi quis continuò bibat, genitale infirmat. Idem ſemen potum efficit. Alterius quæ lutea dicitur, radix & ſemen contra muliebria profluuia ex uino nigro bibuntur.

EX GALENO.

Nymphęæ radix & ſemẽ, uentris profluuia cohibent, ſemenq; genitale ſiue per ſomnia, ſiue alio pacto immodicè profluens retinẽt. Iuuãt dyſentericos. Cęterũ Nymphæa quæ candidã radicẽ habet, potentioris eſt facultatis, ut & muliebri profluuio medea-

NYMPHAEA
CANDIDA.